

Petrus de Vinea

*Ep. II 26 (Etsi utilium exigente
qualitate causarum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 26 (Etsi utilium exigente
qualitate causarum...)*

1250

Cremonensibus, confortans eos in fide, et asserit se cito iturum ad partes illas in exterminium rebellium.

1. Etsi utilium exigente qualitate causarum, quibus consultius aliter fieri posse non uidimus, dudum regnum nostrum Syciliae presentia nostra duxerit repetendum, uobiscum semper corde remansimus et, si permittente natura fieri potuisset, maiorem corporis nostri partem prouidissemus uobiscum presentialiter remansuram. 2. Considerantes uero, quod temeritas superstitiosa rebellium, dum deliciosae tantisper quieti nos deditos opinatur, improuide sibi plenam iam uento gloriam, ex absentia forte nostrae maiestatis, usurpat, pensantes etiam, quod uestra et aliorum nostrorum uota fidelium, dum presentiam nostram anhelanter esuriunt, de facili possent assumere pro tam longa spei prorogatione rancorem, nos in partem sollicitudinis reddendos elegimus et suauibus Regni nostri solaciis personam nostram prouidimus subtrahendam. 3. Sic facti nouiter in hominum detrimenta magnanimes, ut nullis quasi preteritis fatigati laboribus, nullis effusis sumptibus fastiditi, nunc uideamur ad bella solito fortiores occurrere, nunc ad eroganda stipendia et premia largienda pro meritis satis consueto fecundius nostrae munificentiae gremium aperire. 4. Ecce, igitur, corpore sospites, corde fortes, ad reuisendas Ytaliae partes potenter accingimus, thesauros undique de Regni fertilitate congerimus, et nostrae potentiae brachium sic, congregatis circumquaque presidiiis, roboramus, ut in proximo et uictorioso nostrae maiestatis aduentu, spe diuturna fidelium respirante, conterantur medullitus corda rebellium, quae, nobis absentibus, forsitan inaniter gloriantur. 5. Vos autem, uiri fortes,

quos, uelut in fidei soliditate firmatos, reddit quorumuis negotiorum et temporum qualitas in nostra deuotione preclaros, spem firmam fiduciamque concipite, quod in summum exterminium nostrorum rebellium ad partes ipsas in proximo potenter et magnifice ueniemus. 6. Interim autem sic in seruitiis nostris persistite, sic ad confusionem hostium, sicut uiros decet industrios, uires uestras et animos exercete, quod inter alios fideles nostros uos dignis extollere laudibus et specialibus consequi premiis merito ualeamus.